

[15:] Quomodo cohaeret secundum praeceptum cum primo?

Prima lex decalogi praecipit cultum cordis interiorum. Cum autem cor ardens luce et amore Dei, patefaciat motus interiores voce celebrante Deum, mox in secundo praecepto dicitur de usu sermonis, ut gubernetur lingua, quae exprimit et reuelat virtutes primi praecepti.

An non potest inuocatio et gratiarum actio fieri
sine recitatione oris?

5

Potest inuocatio et gratiarum actio fieri etiam cogitatione mentis. Sed tamen Deus expressam vocem postulat tanquam confessionem, qua ecclesia priuatim et publice sese ab idolis seiungit et se quisque erudit et excitat ad ardorem in inuocatione et hac tanquam Gorgone³¹ pellit diabolus, qui nulla tela magis reformidat quam preces piorum et illam expressam de Deo testificationem. 10

Quae peccata pugnant cum secundo praecepto?

Omnes abusus nominis diuini, ut sunt sermones omnes, quibus peccata contra primum praeceptum, abdite latentia in corde, in [16:] lucem proferuntur, ut verbi causa, Epicurei, Stoici et academici furores, omnes falsae inuocationes, omnes corruptelae verae doctrinae, 15
magicae incantationes, omnia periuria, omnes blasphemiae. Praeterea neglectio inuocationis, ingratitude aduersus Deum, abiectio veritatis in confessione aut iniustum silentium. Denique praetextus gloriae et nominis Dei, quibus teguntur pravae cupiditates, ut multi praetexunt euangelium priuatae ambitioni, auaritiae, odio et similibus morbis animi. 20

³¹ Unwidersprechliches Argument. Vgl. Art. Gorgonenhaupt, in: DWb 8, 965.